

### Miseria A

Miseria est copia tribulacionis et inopia consolacionis quando multifarie quis pacitur et a nemine relevatur.

Augustinus de diffinicionibus.

### Miseria B

Qui nequiter vult vivere, nonne tanto miserior esse convincitur, quanto facilius mala eius voluntas impletur.

Augustinus libro de verbis Domini.

### Miseria C

Quid miserius misero non miserante seipsum et flente Didonis mortem que fiebat amando Eneam non flente ante mortem suam que fiebat non amando te.

Augustinus 1. confessionum.

### Miseria D

Magna hominis miseria cum illo non esse sine quo non potest esse, in quo enim est proculdubio sine illo non est, et tamen si eius non meminit, eumque non intelligit neque diligit cum illo non est.

Augustinus de trinitate.

### Miseria E

Considera quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt, nam si hoc bene consideraveris, videbis in tantum esse te miserum in quantum non appropinquas ei quod summum est.

Augustinus de libero arbitrio.

#### Miseria F

Apud christianos non qui pacitur sed qui facit contumeliam miser est.

Hieronymus in epistola.

#### Miseria G

Peccantes quosque tunc consideremus amplius miseros quando eos conspiciamus in culpa sua sine flagello derelictos.

Gregorius super Ezechielem.

#### Miseria H

Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit de spe interna semper gaudere.

Gregorius ibidem.

#### Miseria I

Generalis est humano generi miseria triplex: si diligenter advertimus nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum decipimur, si tentamus facere bonum deficimus, si conamur resistere malo deiicimur et superamur.

Bernardus sermone 8.

#### Miseria K

Sicut pura veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris non nisi misero corde servatur.

Bernardus de duodecim gradibus humilitatis.

## Miseria L

Homo natus de muliere brevi vivens tempore et cetera. In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus perturimur, ante exitum miseram oneramus matrem, in exitu more vipereo laceramus, mirum quod ipsi non laceramur primam vocem ploratus edimus, merito quidem utpote vallem ploracionis ingressi, ut nobis illud sancti Iob ex omni parte possit aptari. Multis repletur miseriis, multis ex multiplicibus inquam miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis dum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quocumque se vertit.

Bernardus in sermone.

## Miseria M

Consideranti tibi quid sis, occurret tibi homo nudus et pauper et miser et miserabilis homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurans quod sit homo natus ad laborem, non ad amorem; homo natus de muliere et ob cum reatu brevi vivens tempore ideo cum metu repletur multis miseriis et propterea cum fletu, vere multis quia corporis et anime simul.

Bernardus ibidem.

## Miseria N

Quare de vulva egressus sum ut viderem laborem et dolorem, consumerentur in confusione dies mei? Si talia locutus est de se, ille quem Deus sanctificavit in utero, qualia loquar de me, quem mater mea genuit in peccato. Heu me! Dixerim: Mater, quid me genuisti filium amaritudinis et doloris? Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus lactatus uberibus natus in combustionem et in cibum ignis utinam interfectus fuisset in utero, ut fuisset meum sepulchrum et vulva eius conceptus eternus, fuisset enim quasi non essem de utero translatus ad tumulum?

Innocencius de vilitate condicionis humane.

## Miseria O

Quis ergo det oculis meis fontem lachrimarum, ut fleam miserabilem humane condicionis ingressum culpabilem humane conversacionis progressum, damnabilem humane dissolutionis egressum. Consideraverim igitur cum lachrimis de quo factus est homo, quid faciat homo, quid facturus sit homo. Sane formatus est homo de terra, conceptus in culpa, natus ad penam, agit prava que non licent, turpia que non decent, vana que non expediunt.

Ibidem.

## Miseria P

Formatus est homo de pulvere, de luto, de cinere, quodque vilis est, de spurcissimo spermate; conceptus in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fetore luxurie, quodque deterius est, in labe peccati; natus ad laborem, timore, dolore, quodque miserius est, ad mortem. Agit prava quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum. Agit turpia quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscienciam. Agit vana quibus negligit seria, negligit utilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis qui semper ardet et urit inextinguibilis, esca vermis qui semper rodit et comedit immortalis, massa putredinis que semper fetet et sordet horribilis.

Ibidem.

## Miseria Q

Sapiens miser plus miser est quam rusticus miser, scit enim exaggerare causas dolendi quas rusticus miser ignorat.

Super principium Boecii de consolacione.

## Miseria R

Miserum te reputo, quia numquam fuisti miser, transivisti vitam et non invenisti adversarium, nimis miser fuisti, miseros reputo qui nimia felicitate torpescunt.

Seneca in quadam epistola.

### Miseria S

Calamitosus est animus futuri anxius et ante miseriam miser qui sollicitus est, ut ea quibus delectatur ad extremum usque permaneat, nullo enim tempore conquiescet et expectatione futuri presencia quibus frui poterat amittet.

Seneca ibidem.

### Miseria T

Miserior es cum in omnem fraudem oculis raperis, quam si omnino oculos non habueris.

Seneca de remediis fortunarum.

### Miseria U

Et deest ut superat miseris cognicio felix improbitas optimorum est calamitas, in misera vita contumelia est. Miserum te agere cogis quod cupias loqui. Miserrima est fortuna que inimico caret. Sola miseria caret invidia.

Seneca in proverbiiis.